IN
SOLEMNI ACADEMIAE INSTAURATIONE
AB EMINENTISSIMO D. XYSTO RIARIO SFORTIA
AD FOVENDUM LATINI SERMONIS STUDIUM
ANNO MDCCCL FUNDATAE

ORATIO

IANUARII CORAMARINO

S. THEOLOGIÆ MAGISTRI

EJUSDEMQUE ACADEMIÆ CENSORIS

ATQUE IN REGIO SALVATORIS LYCEO

ELOQUENTIÆ POESEOS ET LINGUÆ GRECÆ PROFESSORIS

HABITA XVII KAL. FEBR. MDCCCLI

NEAPOLI

EX TYPOGRAPHIA VIRGILIANA

MDCCCLV

ORATIO

Quod tibi, Eminentissime Princeps, et vobis, Academici ornatissimi, Auditoresque humanissimi, bene ac feliciter vertat, quodque summopere omnium votis optandum erat, solemnem studiorum hujus Academiae instaurationem hodiernus dies anniversarius primus ab illa condita, et constituta tandem aliquando laetioribus auspiciis adduxit. Etenim optimo sane, ac sapientissimo consilio nostri Praesidis Eminentissimi factum est, ut haec Academia, quo magis floreret, Divae Virgini sine labe originis Conceptae, quae sapientiae est sedes auspicatissima, in hujus diei celebritate dedicaretur. Quod vix ut audieritis, statim frequens conspectus vester multo jucundissimus visus est; quippe qui potestis certo confidere, et bene sperare, fore ut Academia tantae Patronae, ac Fautricis litterarum commendatione in dies laude ac praestantia ceteris omnibus antecellat. Quae spes ne nos frustretur, nobis ipsis maxima cura est providendum, atque in primis illud recor-

dandum : *Nisi utile est , quod facimus , stulta est gloria*. Quod quidem cum in animum induxissem , illud argumentum meae orationi adtexere non dubitavi, quo demonstrandum aggrederer, nostrae Academiae dignitatem cum utilitate esse conjungendam. Id vero facillime consequemur, si argumenta, quae nobis, quoties huc convenimus, sunt pertractanda, ita instituerimus, ut ad verum potissimum inquirendum , ac bonum consectandum comparata esse videantur. Ita profecto illi malevolorum hominum generi occurremus, qui Academiae laudibus obtrectantes nullum ex ea emolumentum vel religionem, vel societatem, vel studiosam juventutem in Ecclesiae spem succrescentem capere posse jam palam non verentur dictitare. Enimvero si quod argumentum perfectum ingenio, elaboratum industria huc afferimus , ad veritatem , ac bonitatem assequendam spectaverit, ferendum prorsus non est, aliquem esse tam impudentem, tamque injustum rerum aestimatorem, ut non fateatur, nostram Academiam uberrimos fructus esse allaturam. Fretus igitur humanitate Xysti Riarii Praesidis amantissimi, qui sua fide, ac benevolentia nobis adest, de proposita re ad dicendum aggredior. Vos interim, Academici cujuscunque ordinis praestantissimi, quorum sapiens judicium mihi licet Censori maxime verendum, precor, quaesoque, ut si quid minus dignum vestra, omninmque expectatione dixerim, id praesertim loci hujus auctoritati, quae dicenti aliquid perturbationis afferre solet , adscribendum censeatis.

Dolendum profecto est , nec sine querela , ac moerore quodam commemorandum, sublimissimas illas intellectus ac voluntatis facultates , quae animum in summo dignitatis fastigio locant, ex primoeva nobili-

tate ac perfectione dejectas, vulneribus veluti quibusdam acceptis, in viliorem conditionem decidisse. Enimvero intelligendi illa animi nostri vis (ut modo taceam de voluntate) tantis ignorantiae tenebris offunditur, tantaque obscuritatis et caliginis densitate obvolvitur, ut, nisi disciplina duce, nisi facem praeferente cultura, in immensa hac rerum objectarum varietate, quae nos circumstant, veritatem, ad quam homo contendit, minime valeat sibi plane comparare.

Hinc factum est, ut mortales non secus ac coeci ducibus destituti, non solum innumera falsarum opinionum portenta pro veris adoptarint; sed quod pravum omnino et turpe erat, soepissime veluti Ixion nubem pro Junone fuerint amplexati. Et quidem ponite vobis ante oculos totius retro antiquitatis hominum opiniones, non dicam rudium e vulgo, sed illorum, qui sapere putabantur, quorumque memoria ad nos cum laude manavit, et facile intelligetis, quam male sentirent, quotque in erroribus versarentur praesertim in rebus, quae ad religionem ac mores, ad leges et consuetudines, ad pacta conventa, et foedera pertinerent.

Sed tanta sunt mala, quae ex hujusmodi ignorantia, ac veritatis aberratione tanquam irriguo fonte in omne genus hominum quolibet tempore emanarunt, ut si vellem dumtaxat enarrare, vix justo unius orationis ambitu, sed pene integro volumine comprehendi posse viderentur. Illud potius animadvertendum censeo, coecitatis vulnus intellectui inflictum facile obduci posse, si litterarum, disciplinarumque studiis, quae in Academiis, ac doctorum hominum conventibus nobilius exercentur, veri inquisitio atque investigatio sincera fide suscipiatur. Quapropter si primam Academiarum originem animo revolvamus, statim illas, quae

celeberrimae habitae fuerunt, non ad aliud potissimum, quam ad verum inquirendum, humanasque mentes cognitionum luminibus perfundendas, natas esse statuemus. In eas enim homines sapientissimi adscripti veritates, quae erant vel difficillimae, ac penitus occultae, communi consilio, perpetuisque animi contentionibus detexere, atque erroribus dissipatis, tenebrisque expulsis, novarum scientiarum amplificatione ad rei publicae ac privatae bonum magnum adjumentum attulerunt.

Quae cum ita sint, argumenta hujus Academiae sic persequi necesse est, ut veritatem praecipue eorum ope plenius assequendam nobis proposuisse videamur. Secus de nobis quoque dici posset, quod Apostolus de quibusdam affirmavit, *semper discentes, et ad veritatis scientiam nunquam pervenientes*: ad veritatis, inquam, scientiam, ad quam ab ipsa natura ita facti et comparati sumus, ut toto animi impetu abripiamur. Ad illam igitur acquirendam nostra consilia, et cogitationes spectare debent, ut litteras, ac litteratos homines, Academiam istam, atque Academicorum studia tum religioni, cum societati maximo usui esse comprobemus.

Ita enim semper hominibus persuasum fuit, ut si doctissimi quique ex omnibus ordinibus litteratorum adlecti in magnas Academias ad omnis generis scientias novarum veritatum cognitione amplificandas convenerint, ex eorum laboribus ac studiis, curis et vigiliis, sumptibus atque impensis societas et religio amplissima commoda fuissent relaturae. Quod ubi quisque factum vidit, illico jure exclamavit: o praeclara scientiarum incunabula, bonarumque artium splendores exoptatos, qui tenebras mentibus homi-

num offusas discutere potuerunt! o eruditorum mortalium studia, quibus tam uberes, tamque ingentes fructus accepti sunt referendi!

Verum in ea tempora incidimus, in quibus prope hominum infinitam societatem in Europae florentissimis regionibus omni calamitatum genere vexari, religionemque infensissimos hostes habere dolemus; unde bellum quam varium, quam pertinax, quam periculosum, quam atrox nostra memoria ea passa sit, satis conspeximus, comploravimus. Neque id ex alia causa repetendum puto, nisi quod in plerisque Academiis artes, litteras, ac severiores disciplinas non veritatis ingenuo studio coli coeptum fuerit, sed potius ut ad illam vel infirmandam, vel acriter oppugnandam summa ope adniterentur. Namque occulto improborum consilio evenit, ut in illas nemo ferme cooptaretur, nisi aut quid novi invexerit, quod fucum faceret imperitis, aut sententias a Catholica religione nimium abhorrentes phaleratis verbis prodiderit, quae impietatis venenum quo latentius occulerent, eo facilius disseminarent. Hinc de rerum omnium origine atque existentia, de animi simplicitate atque immortalitate, de hominis libertate ac felicitate, de justi atque injusti notione, de conjugum, parentum ac liberorum officiis, de iis, quae sunt sua propria, quaeque communia, de imperio ac Sacerdotio opiniones vel absurdissimae eruperunt.

Equidem eo vecordiae ventum est, ut philosophi, qui *Rationalistae* appellantur, Deum esse rationis ipsius partum ac foetum, fidem intelligendi vis nobiliorem perfectionem, Trinitatem divinarum personarum ex Platonis doctrina explicandam, ac caetera totius oeconomiae reparationis hominum myste-

ria fabulosis narrationibus Indorum, Sinensium, atque Ægyptiorum accommodanda esse scripserint, docuerint, praedicarint. Evangelium vero nihil aliud nisi mythistoriam, et Christum vel purum hominem, licet eruditissimum, ac philosophum uti Mercurium Trismegistrum existimandum, vel potius nunquam extitisse, nisi quatenus vir excellentissimae doctrinae, morumque innocentiae ex aliquorum mente fuerit fictus et conformatus, ut mortales omnes aliquod virtutum perfectum atque absolutum exemplar sibi ad imitandum proponerent, per summam impudentiam illorum quamplures asseruere. Quid porro de rebus politicis? eo spectant doctrinae, quas continent litteratorum hominum opera ex compluribus hujus generis Academiis evulgata, ut fere omnes populorum perturbationes, seditionesque teterrimas, quas ingemuimus, inde natas, atque excitatas esse jure meritoque conqueramur. Quot illinc mala, quot aerumnae, quot calamitates in religionem ac societatem fuerunt importata? proh bone Deus! quo litterarum dignitas atque excellentia? quo Academiarum maxima praestantia atque utilitas evasere?

Nemo igitur vestrum non videt, quantum studii ac diligentiae, quantum laboris atque industriae impendendum sit, ut litterae, ac disciplinae in nostra Academia veritatis investigatione ad nobilissimam suae originis dignitatem revocentur. Haec tamen veritas ab uno Deo Sapientissimo, qui rerum omnium caussas, et rationes continet, cujusque ex vultu, ut David cecinit, lumen in nos transfunditur, nostrisque mentibus veluti consignatur, tantummodo est repetenda. Equidem id in primis Christus sua auctoritate testatus est illis verbis, quibus utitur, quotiescumque Pa-

trem alloquitur, *veritas tua, Deus:* atque non alia de causa se in hunc terrarum orbem venisse Romano Praesidi roganti respondit, nisi ut eidem veritati, nempe Deo, testimonium quam amplissimum perhiberet. Hoc ipsum olim gentibus adeo ratum, firmumque sedit, ut vulgato omnium sermone effatum illud percrebuerit: *Ab Jove principium Musae.* Huc quoque facit illa Pegasi, seu alati equi fabula celeberrima, qua ideo in Helicone decantatum fontem, quo Musae potum ibant, ungula effodisse jactatur, ut scientiam, quae illinc hauriebatur, ab alto solummodo pluere significaretur. Ita enim apertissime iterum atque soepius admonemur, Academias, quae sunt litterarum disciplinarumque ferme sacra domicilia, tamquam altiora media, quibus ad sapientiam initiamur, eo tantum suomet instituto spectare, ut veritates, quae ex divino flumine hauriuntur, suo veluti sinu comprehendant.

Quocirca in veritate investiganda opus est, ut ne latum quidem unguem ab illis scientiis, quae veluti rivuli e fonte sacrarum litterarnm dimanant, discedamus, ne forte in illorum falso nomine sapientium calamitatem incidamus, qui, ut ait Apostolus, *evanuerunt in cogitationibus suis, et stulti facti sunt.* Nostra igitur plurimum interest, ut in argumentis pertractandis illud Apostoli ipsius monitum, quo usus est cum Colossensibus, in mentem revocemus; *Videte, ne quis vos decipiat per philosophiam, et inanem fallaciam, secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi, et non secundum Christum.* Obtemperantes enim huic Apostoli praecepto veritatem exoptatam in omnibus scientiis vel moralibus, vel naturalibus, ac physicis, vel iis, quas Mathema-

tici profitentur, non secus ac in litteris sive graecis, sive latinis excolendis, sine erroris formidine assequemur.

Argumenta igitur, quae erunt unicuique nostrum pertractanda, ita exornabimus, ut exquisita eruditione, omnique doctrinarum genere referta non modo ad rem litterariam locupletandam plurimum conferant, verum etiam in primis ad illos errores profligandos sint apta atque accommodata, qui magna ex parte e Transalpinis regionibus effusi totam Italiam penitus invasere. Ita profecto nihil hac Academia nobilius, nihil excellentius atque utilius societati, ac religioni accidere potuisse vel ipsi illius hostes infensissimi judicabunt. Quod multo magis certum atque exploratum apud omnes erit, si praeter veri investigationem bonum quoque hujusmodi Academicis exercitationibus consectabimur.

Atque in primis quicunque interiores animi sui latebras paulisper consuluerit, profecto fatebitur, in praesenti rerum conditione voluntatem adeo esse labefactatam, ut, quae sequi deberet, effugiat, atque ad ea, quae fugienda essent, incredibili aviditate rapiatur. Ita enim bonorum malorumque rationes saepe confunduntur, ut bonum pro malo aversemur, malumque veluti bonum amplectamur. Quare non modo veritatis investigatione intellectus errores atque ignorantiam expellere, ac dissipare debemus, verum etiam bonitatis consectatione voluntas a summa suae pravitatis propensione magnopere est revocanda. Equidem quemadmodum ambae huiusmodi facultates sunt veluti individuae partes unius animi, ita veri bonique qualitates eo vinculo inter se colligantur, ut alterum ab altero sejungi nequeat, ne divinus ordo sa-

pientissime constitutus per summam audaciam perturbetur. Utrumque enim Deus conjunxit in felicitate hominis statuenda, quem ea lege condidit, ut, cum caetera animantia vitam corpusque tueantur ab iis tantummodo, quae molestiam aut perniciem afferre possunt, ille ad intelligendum, atque ad rationi convenienter agendum fuerit comparatus.

Cum ita se res habeat, ipsa nostri officii ratio, hujusque Academiae institutum postulant, ut nostra studia non minus in veri perspicientia, quam in boni tractatione alacriter versentur. Ita enim de litteris ac disciplinis optime merebimur; dum illarum auxilio morum honestatem, virtutis pulchritudinem, divinarum humanarumque legum a recta ratione minime abhorrentium sanctitatem ab earum opinionum falsitate vindicabimus, quae impietatem fovent, religionem impetunt, ac societatem funditus evertere aggrediuntur. Et quidem in comperto est apud omnes litteras ac disciplinas quasi de Coelo fuisse missas, ut hominibus felicitatem, quae veri ac boni consectatione obtinetur, facillime compararent. Eo nomine aurea soecula, quibus agnitae veritates in usum rectum, piumque deducebantur, poetae, philosophique extulere, eoque consilio Deorum convivia, quibus essent mortales accubituri, tantopere celebrarunt, ut humanos animos propter morum innocentiam, quam scientiae secum ferunt, Numinibus ipsis coniungi dignosceretur.

Quamobrem non est dubitandum, quin litterarum usus, atque Academiarum finis tam late pateat, ut quidquid a nobis in vita honestum, quidquid decorum expeti debeat, quaecunque ad dignitatem, ad jucunditatem, ad ipsam beatitatem obtinendam desi-

derari ab hominibus solent, complectantur. Hinc memoriae proditum est Ægyptios, Indos, Pythagoraeos, aliosque sexcentos primi subsellii viros hanc provinciam, ut hominum voluntati veri summique boni doctrina recte constituendae consulerent, sibi quam diligentissime obeundam, quasi divinitus demandatam, existimasse. Legite, quaeso, unum ex ethnicis elegantissimis scriptoribus Tullii librum *De bonorum ac malorum finibus* eruditissimum, atque ex veteribus Ecclesiae Patribus sanctissimis illum Divi Augustini doctissimum, qui inscribitur *De civitate Dei*, ac facillime in mentem revocabitis, quanta cura et diligentia, quanto studio et labore prae ceteris Epicurei, Stoici, Peripatetici decertarint, ut summi boni naturam constituerent, quidque per se fugiendum, vel appetendum esset ad bene beateque vivendum, homines edocerent.

Quod tamen ita volumus intelligere, ut nemo sibi in animum inducat illos superno fidei lumine destitutos verum summumque bonum, quod homini beatitatem afferret, plane assequutos, aut voluntatis labefactatae vitio sine divinae gratiae auxilio ullam medelam aliquando fuisse allaturos. Christus enim apertissime docuit unum Deum bonum esse, queis verbis bonitatem profecto in uno ipso Deo collocandam esse praedicavit. Sed hoc solum etiam atque etiam contendimus, Academias ac litteras ad bonum consectandum ab ipsa hominum institutione esse destinatas. Namque quis adeo demens est, ut Academiarum nomine illas appellandas censeat, quarum studia et scholae eo spectant, ut qui litteras ac scientias excolunt, insanientis sapientiae consulti errent? mores maculent? pietatem ejurent? Hoc fonte derivata cla-

des in patriam populumque fluxit. Ubi enim flagitiis vel pessimis velamine quaesito, quod suapte natura honestum est, tamquam turpe prorsus rejicitur, quodque contra re ipsa malum est, quasi bonum numeris omnibus absolutum, plane praecipitur; quae malorum colluvies? quae corruptelarum illecebrae? quae libidinum effraenata jactantia? quae scelerum immanitas? quae hominum perversitas? quae virtutum contemptio? quae vitiorum licentia ab hujusmodi Academiis, Lyceis, Gymnasiis non fuit expectanda?

Cui tantae calamitati certe nobis aliqua saltem ex parte hujus Academiae studiis, atque exercitationibus est occurrendum. Occurremus autem, si non solum mentes hominum a veritate aberrantium veri inquisitione erroris convincemus, verum etiam voluntates maxime depravatas boni consectatione ad honestatem revocabimus. Cum enim homines recte sapere atque agere edocti fuerint, inter eos vigebit officiorum observantia, judiciorum sanctitas, legum reverentia, rerum contractarum fides, morum innocentia, aliaquê hujusmodi, ex quibus omnibus otium, pax, et tamdiu expetita securitas societati ac religioni restituentur.

Acriter igitur non minus falsas cujuscunque generis opiniones, quam vitia ac facinora insectabimur. Quid sciendum, quid agendum cuique homini sit, ut ea paret, atque anquirat, quae ad beatitatem assequendam sibi conducant, nostris orationibus eloquemur. In eos vero, qui ad pietatem ex animis evellendam, ad auctoritatem aspernandam, ad leges conculcandas, ad aliena rapienda, ad sacra cum profanis permiscenda, ad omnia susque deque ferenda, scriptis, voce, ephemeridis, fictis, futilibusque narratio-

nibus, insidiis, fraudibus, coede demum, ac flammis in nocturnis conventibus paratis connituntur, tum maximo eloquentiae impetu, tum ingenti doctrinae vi et copia acerbius invehi non dubitabimus. O fortunatam Academiam, si quidem hujuscemodi hominum conatus profligarit! quot gratias posteritas illi erit habitura? quot praeconiis, monumentisque ejus dignitas ac praestantia decorabitur? Nobis vero, Academici praestantissimi, nobis, inquam, non modo proemia, atque honores ex Praesidis liberalitate, atque benevolentia, qua nos complectitur, sperare licebit; verum etiam illa gloria praesto erit, qua olim Mazochii, Majellii, Aulae, Simiolii, ac mea vestrumque memoria Lavitrani, Bonannae, Ciampittii, Scottii, Octaviani, Mazzetti, aliique doctissimi Sacerdotes pietatem cum litteris mirum in modum conjungentes, veritatem, bonitatemque voce, et scriptis praeseferentes in hac urbe floruerunt.

Quid quod juventuti in Ecclesiae spem succrescenti ad litteras ac disciplinas alacriori animo complectendas magno erimus incitamento? Ipsis enim adolescentibus, qui ad humanitatem informantur, litteraturam non modo a pietate non abhorrere, sicuti jamdiu praejudicata opinio quorumdam animis insedit, sed etiam hanc cum ea adeo necessario conjungendam demonstrabimus, ut sine timore Domini, a quo sapientia initium ducit, verum litterati nomen, quo nihil praestantius, nemo sibi queat comparare. Ita vobis, Academici ornatissimi, illud spondere, in meque recipere non dubitabo, futurum ut a nostra opera atque industria in Religionem ac societatem quamplurima commoda importentur, et sub faustissimis, novisque auspiciis Divae Virginis sine labe Originis Conceptae